



GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEORGIVS RVDOLPHVS
BOEHMER

PHIL. ET MED. DOCTOR THERAPIAE PROF. PVBL. ORD.
ACADEMIAE SENIOR PHYSIC. PROVINC. SOCIET.
OECON. LIPS. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XXII. MENS. OCTOBR. A. R. S. MDCCLXXXVII

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA PROLVSIONE

QVA

CYANO SEGETVM NVPER IMPVTATVM VIRVS
LIMITATVR.

4
1787 1a



GRATIOSI ORDINIS MEDICI
ACADEMIA WITTEBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEORGIVS RVDOLPHVS
BOEHMER
PHIL. ET MED. DOCTOR THERIAE PROF. PUBL. ORD.
ACADEMIAE SENIOR PHYSIC. PROVIC. SOCIET.
ORDIN. LIT. SOCIET.
PANEGYRIN MEDICAM
AD D. XXII. MENS. OCTOB. A. R. S. MDCCCLXXXII
H A B E N D A M
I N D I C I T
T R A M I S S A P R O V I S I O N E
C Y A N O S E Q U E T V M I N T E R I M P I A T I V M T I M E
L I M I T A T V M

VI

Multas ex indigenis, antiquissimo tempore laudatas, plantas sensim, praecipue ob nimiam copiam et novorum medicamentorum aestimationem, in desuetudinem abiisse et ex medentium negligentia ad obsoletas merces relatas fuisse, vulgatissima, a PLINIO ^{a)} forsan primo omnium commemorata, et ab Eodem, a coeruleo florum colore, Cyanus dicta, luculenter probat. Recentiores enim Materiae medicae scriptores multi, CARTHEUSERVS, LOESEKIVS, CRANZIVS, alique ne eius quidem nomen adduxerunt, alii, vt LINNAEVS ^{b)} et BEIREIS ^{c)} Cyano eiusque inprimis floribus nos commode carere posse affirmarunt, et qui etiam eidem in Catalogo medicamentorum locum adhuc concesserunt, flores modo nominarunt, seminum autem prorsus nullam fecerunt commemorationem, vt sunt MATTHIOLVS, TABERNAEMONTANVS, RAIVS, CASP. HOFFMANNVS, KOENIGIVS, DALEVS, PAVLI, ZORNIVS et inter recentissimos VOGELIVS, SPIELMANNVS, BERGIUS alique; et horum quoque nonnulli, vt et Cel. MVRRAY virtutem florum, partim in vrinae suppressione ^{d)}, partim

a 2

in

a) Libr. XXI. c. 8.

b) Vid. Amoenit. Vol. IV. p. 32. Qui etiam in Materia medica pag. 143 Cyani qualitatem exoletam et infidam esse affirmavit. Veterum etiam nonnulli, RVELLIVS inprimis asseruerunt, nullum in medicina usum habere. Vid. Eius Historia stirpium Libr. II. p. 448.

c) Diss. de Medicam. inanibus p. 48.

d) Conf. inprimis FRIDR. HOFFMANNI Diss. de Remediis domesticis p. 35. qui ad fluxum vrinae promovendum nihil potentius dari affirmat. Consentit KOENIG Regni vegetab. Libr. II. p. 816. DALEUS in Eph. Nat. Cur. Dec.



in oculorum lippitudine ^{e)} inprimis probatam, limitare potius, quam confirmare, voluerunt, licet negandum non sit, actiua iisdem inesse principia, quod vel solummodo exinde coniicimus, quia pigmentum, Ultramarino simile, exinde parare possumus, ^{f)} plantae autem, pictoribus tinctoribusque inferuientes, fere omnes vi quoque medicata pollent. Verum hac occasione non tam de floribus, quam feminibus potius agere et quid eadem valeant, disquirere volumus. Paucissimi admodum sunt scriptores, qui eorum mentionem fecerunt. Inter veteres primus forte erit TRAGVS, vero nomine БОСК nominatus, qui feminibus medicatam virtutem tribuit et praecepit: *Flos cum semine decoctus et potus contra araneorum et scorpionum ictus auxiliatur, et porro: Semen in puluerem redactum ac pondere dimidiae drachmae sumtum, bilem per alium detrahit.* ^{g)} Contrariam fere vim tamen illis inesse, BODAEVS A STAPEL statuit, scribens: *Nec semen, nec radix aliquam vomitus excitandi vim possidet, compefcit vomitiones*

Dec. III. an 5 et 6. obs. 20. p. 50. Infusum florum pro alio laxanda utilissime adhibitum fuisse, Ipsemet expertus scio.

e) „Sive oculi aut membrum quodcumque calore rubescat, „Illine, quo tepeat frigiditate facit.

Ita cecinit 10D. HARCHIVS in Enchiridio simplicium Pharmacor. Bas. 1573. g. p. 75. *Cyani flores prae reliquis amaris multo minori afficiunt stimulo, quam ob rem oculis roborandis quoque magis conuenire videntur, scribit WÜRZIVS in Conamine Mappae Medicam. simplic. p. 143.*

f) Modus docetur im Allgemeinen Magazin Vol. IV. pag. 237. Longe antea modum coeruleum inde colorem parandi tradidit GOTTSCHEDIVS in Flora Prussica p. 60.

g) Vid. Eius Historia Stirpium, Argent. 1552: 4. p. 566. Eadem legimus in Edit. German. 1595. fol. 208 b. vbi et additur: In gleicher Masse genutzet, wehrt den hitzigen Fiebern. Quae de virtute feminum in coniunctione florum notauerat TRAGVS, repetit quoque DYRANTES in dem Kräuterbuche p. 306. CAMERARIUS in Epitome p. 289 aliique. Alteram virtutem versiculis quoque expressit supra citatus HARCHIVS:

„Semen si drachmae contritum pondere fumes,
„Solvitur e stomacho bilis adusta tuo.“



missiones et s. p. ^{h)}) inter recentiores solus forsitan erit FONTEDE-
RA, qui alteram TRAGI experientiam confirmavit, eademque
resinosis partibus abundare et tritum semen, ad sesquidrachmam
ex aliquo liquore assumptum, alui deiectionem mouere, tra-
didit. ⁱ⁾) Etsi etiam de hac euacuandi, vt de antidoti virtute, du-
bitare quis vellet, negare tamen non poterit, feminibus aliquam,
et vt Cel. MURRAY contendit, floribus maiorem sine dubio
inesse virtutem, idque ideo, quia amara sunt. ^{k)}) Verum enim
vero non dubitanter aliquam, sed potius insignem, ast delete-
riam magis, quam salutarem, vim feminibus, vel iisdem po-
tius adhaerenti pappo tribuere debebimus, si obseruationem,
nuper admodum a Clariss. GOETZIO communicatam, pro
vera atque certa admittere possumus. Eruditus quidam, in
villa habitans, ex esu Lentium colicis semper vexabatur dolori-
bus, tandem easdem sollicite disquirens, pappum copiose illis
admixtum esse, inuenit, et quo de eius indole certior fieret,
pappos a lentibus separauit, eorumque integrum manipulum
collegit, et paratum ex illis decoctum Cani propinauit, qui
paulo post Conuulsionibus vexatus, viribusque intra quatuor
horas maximopere debilitatus, ideoque iugulatus fuit; exinde
ergo colligit GOETZIVS, pappum hunc, copiose cum lente co-
ctum et magis resolutum, sanitati infensum esse. ^{l)})

Verum enim vero de hac Cyano imputata nocendi vi me-
rito adhuc dubitamus. Experientia quaelibet, aeque ac expe-
rimentum, fallax, inprimis si modo vnicum est, et obseruatio,

a 3

licet

^{h)}) Vid. Eius Comment. in Theophrasti Hist. Plant. Libr. X. p. 1103.

ⁱ⁾) Vid. Eius Dissertationes cum Anthologia edit. p. 208.

^{k)}) Vid. Eius Apparatum Medicam. Tom. I. p. 94. Amarum semen esse, HAL-
LEVS quoque asseruit et TRAGI experientiam de eius euacuandi virtute addu-
xit, vid. Eius Hist. Stirp. Heluet. Tom. I. p. 83.

^{l)}) Vid. Eius Nützliches Allerley Vol. IV. p. 429.



licet fidissima, semper tamen est relatiua ad indiuiduum quodque, cui propinatum fuit medicamentum; ^{m)} hinc vtrum colici dolores a pappo, an potius a comestis lentibus, vtpote per se flatulento cibo, vel ab alia corporis conditione atque idiosyncrasia producti fuerint, dubitari omnino potest. Eratne ille Litteratus solus, qui ruri se continens, adulterinis hifce Lentibus vesceretur? Cur non Eius quoque commensales eodem modo afficiebantur?

Nouus oritur scrupulus, dum Cyani semina Lentibus admixta fuisse, perpendimus. Segetum vel frumenti flos dicitur Cyanus, et germanice appellatur Kornblume, quia importuno luxu segetes vbique, ac praeter caeteras, fecalis enecat, crescitque praecipue inter Secale Triticumque, quod ante hiemem fatum fuit; Plantae autem, quae cerealem agrum occupant, inter legumina raro, vel nunquam, inueniuntur, et si etiam semina, eiusmodi loco inclusa, progerminarent, ipsae tamen plantae, a scandentibus Lentium aliarumque leguminosarum plantarum caulibus arripiuntur, strangulantur, in terram deprimuntur, et sic vltimum vegetationis gradum, feminum scilicet maturitatem, acquirere vix ac ne vix quidem poterunt. Hinc etiam

^{m)} Illustrationis gratia duplex commemoremus exemplum. De Cortice Cascaillae scribit HOFFMANNVS: *plane peculiaris in aegrotis quodam eius fuit effectus, canalem intestinorum efficaciter euacuans febrisque somitem simul et semel tollens, is tamen non vbique perpetuus, sed peculiari primarum viarum dispositioni tribuendus; alias inter omnes constat, corticem hunc potius ad compefcendas nimias deiectiones valere etc. vid. Med. Rat. System. T. IV. P. I. p. 99.* Cel. SCOROLI ex decocti Bardanae diuturniori vsu puellam, toto corpore contractam obseruauit, et hinc noxium quicquam, hanc neuorum tensionem producens, plantae forsitan inesse asseruit, verum et hic fallacia causae certissime locum habuit; nemo enim Practicorum eiusmodi nocuum Bardanae effectum obseruauit, et Ipse certe SCOROLIUS fallaciam agnouit, dum hanc obseruationem in Florae Carniolicae edit. I. p. 354 notatam, in secunda editione omiserit.

etiam illa apud rusticos inualuit consuetudo, qua in eiusmodi agris, qui alienis segetique infestis plantis inquinati sunt, legumina ferere soleant, eoque ipso horum interitum, certiori, quam alio modo, perficiant.

Segetum proprie incolam Cyanum esse non solum in nostris, sed exteris quoque regionibus, Italia praesertim, ex alio quoque, eidem imposito, nomine colligimus. Italis et officinis quibusdam nominari solet Battifecula, aliis vitiose Baptifecula, a remorando duris caulibus messorum seculas, *) siue falces; hinc et vere et eleganter de Cyano scripsit COWLEIVS: *)

„Sunt tibi mendosi mores, segetemque trucidas

„Fertilis (o monstrum!) perfidus hospes agri.

„Quin etiam messori obstat, falcemque retundis

„Improbis, agricolis vita, obituque nocens.

In vulgus autem notum est, cerealia solummodo, haudquam legumina, falce meti, haecque potius radicitus extirpari, ideoque hoc et alia Cyano imposita nomina male excogitata et impropria prorsus essent, si ille inter Lentescens aequae, ac tam copiose cresceret, ut quidem in cerealium **) agris inuenitur; at et in his integros eorum, minimorumque papporum manipulos colligere, ut in Lente factum fuit, difficilis labor erit.

Praeterea, cum non omnis ubique omnia ferre tellus soleat, atque Cl. GOETZIVS a feminibus, inter Lentescens deprehensis, veras

*) Vnde forsitan deriuandum quoque erit in quibusdam Germaniae locis vitarum nomen Sechel, quod adducitur a SIM. PAVLI in Quadripart. Botan. pag. 6.

o) In Poematibus latinis de Plantis, Lond. 1668. Libr. IV. p. 197.

p) Cyani pappos etiam in Crimno, ex Fagopyro parato, Buchweizengrütze, copiose se inuenisse refert GOETZIVS l.c. In nostris certe agris hoc cerealium genus, Cyano adulteratum, rarissime deprehenditur.



veras Cyani plantas obtinuerit, atque hinc de eorum existentia dubitare vix possimus, in ancipiti tamen versamur, vtrum noxium effectum pappo, an semini potius tribuere debeamus. Culpam omnem Pappo attributam fuisse, germanicum, quod adhibetur nomen, Bürstgen, declarare videtur. Atque ille duplici modo nocere posset, mechanice et physice; irritando autem et pungendo primas vias laedere haudquaquam poterit, cum admodum paruus ille sit, nec ex rigidis, sed mollissimis tenerrimisque pilis compositus, hinc iam in sicco, multo magis in humido et coctione praegressa emollito statu sine sensibili effectu deglutiri poterit; ex interna autem indole atque propria mixtione instar virus agere posse, probabile haud erit, cum omnes eiusmodi pappi odore ac sapore destituantur, prorsusque inertes videantur. Omnis itaque culpa ad semen, cui pappus satis arcte adhaeret, redibit, idque eo facilius, quo certius supra ostendimus, illud amaritiam possidere aluumque mouere; inde tamen nondum sequitur, acre principium continere, et propter ea semper nocere, sed inde modo colligi potest, semina haec, vti alia medicamenta, et inprimis purgantia, magna dosi assumpta, contrariam et deleteriam virtutem exercere.

Cum in praesenti feminis huius papposi copiam obtinere eiusque decoctum cani propinare non potuerim, alia occasione, de Plantis segeti infestis dicturus, in huius experimenti veritatem inquiram, et nunc me conuertam ad Commendationem

NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

CHRISTOPHORI EVSEBII RASCHIGII

DRESDENSIS

MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI

qui

qui nobis de huc vsque peracta sua vita sequentem in modum exposuit:

Ego, CHRISTOPHORVS EVSEBIVS RASCHIG, natus sum Dresdae anno MDCCLXVI. pridie idium Martii. A Patre ortus CHRISTIANO EHRGOTT, Sereniss. Elect. Saxon. Aulico Concionatore, et Matre THEODORA, e gente FABERIANA, quos parentes carissimos, omni pietate colendos, adhuc in vita esse, inter maxima Dei O. M. beneficia refero. Qui cum me omnibus iis, quibus solet aetas puerilis, imbuere curassent, tradiderunt magistro nobis affini EVERGERO, nunc apud Grossenhaynenses Diacono meritissimo. A quo omni fide et sollertia solidiora christianae religionis praecepta, Latii et Graeciae linguas, et quidquid ista aetas exigit, edoctus sum. Postea ad scholam, quae Dresdae floret, Crucianam accessi, et ibi Rectore OLPPIO, et Conrectore BEVTLERO, Viris de me optime meritis, in legendis veterum libris aliisque artibus liberalibus versatus sum. Quo factò Vitebergam in Academiam inclytam me contuli atque ad artem salutarem animum applicavi. Ibi a Magnifico ZEVNIO, Academ. tunc temporis Rectore, in civitatem litterariam receptus sum die XX Maii anno MDCCLXXXIV. Tunc primum Excellentiss. HILLERVM, Logicæ et Metaphysicæ praecepta exponentem et Ciceronis paradoxa explicantem, audiui. Excellentiss. SCHROECKH, orbis vniuersæ historiam tradentem, secutus sum. Excellent. EBERT arithmeticas et algebraicas artes me docuit. Excell. TITII praelectionibus physic. theoreticæ interfui. Experientiss. LANGGVTH historiam naturalem tradidit. His praemissis ad Medicinam ipsam accessi, et primum ab Exper. Excellent. LEONHARDI priuatissime methodum doctrinae medicae vniuersam didici



dici et succedente dein tempore in pathologia, chirurgia, medicina forensi, materia medica, arte formulas conscribendi et chemia, plurimum etiam in examinatorio theoretico et practico et disputatorio profeci. Cui quidem summo Viro, quem praeceptorum anteponam, me omnino habere neminem, ingenue fateri decet. Deinde Exper. Excellentiss. NÜRNBERGERVM botanosophiam, osteologiam, myologiam et anatomicas disciplinas reliquas, physiologiam et diaetae regulas tractantem secutus sum. Tandem ad scholas Exper. Excellentiss. BOEHMERI accessi, eoque duce therapiam generalem cum materia medica coniunctam, nec non specialem seu clinicam tractavi. Quibus quidem optimis Praeceptoribus me plura debere, quam quae laudibus sat dignis efferi possint, palam confiteor, eorumque erga me insignem benignitatem gratissima mente prosequor. Academicum autem in Vitembergae cursum interrupti per hybernum semestre spatium, quod Celebrerr. Professoribus in Collegio medico chirurgico Dresdensi dedi. Ibi praecipuo usus sum fautore Illustri Viro IAHN, Sereniss. Elect. Sax. a Consil. Aulae et Archiatro eoque moderante in numerum discipulorum huius collegii receptus sum. Plurimum itaque profeci institutione Clarissimi WEISSII, Theatri anatomici Professoris; praeeunte Experientiss. HAENEL, artem secandi et anatomiam uniuersam didici; Clariss. WILDT, Chirurgorum castrens. Praefectus, chirurgiae cursum edocuit; Experientiss. DEMIANI uniuersam morborum curandarum methodum monstrauit. Qui quidem Doctores multum venerandi tantam in me erudiendo collocarunt fidem et amicitiam, ut eorum memoria mihi semper erit sanctissima. Semestri autem spatio Dresdae absoluto, Vitebergam redii, atque ulterius medicinae addiscendae inhaesi, donec a Medicorum Ordine Gratioso superato examine dignus iudi-



judicatus sum, qui in *Medicinae Candidatorum* numerum reciperer. Neque vero silentio praetereunda est Principis Optimi munificentia, quae me *Electoralis stipendio* ornauit, quod deinde etiam auctum fuisse, uti *Patriae Patris Optimi summae Clementiae* in acceptis refero, ita mihi praecipuo decori esse puto. Ut vero alios quoque doctores adirem, atque ex diuersorum ore cognitionem meam in rebus medicis stabilirem, in celeberrimam *Ienensem Academiam* migraui, atque *Proreктору Illustr. EKARDT* nomen et fidem dedi die *I Maii* anno *MDCCLXXXVII*. Tum a *Viro summe Venerabili OEWLERO* amice exceptus sum multisque, in ista *Academia* hospes, consiliis adiutus. Deinde ex *institutione Illustris GRVNEBI* in *therapia generali* plurimum profeci. *Illustris LODER* in *arte obstetricia* eximius praceptor fuit, qui etiam in *gynaecho* parturientibus opem ferre docuit. Ex *illustr. STARKE* *institutione* multum auxi cognitionem meam; *Huius enim incomparabilis Viri praelectionibus* in *materiam medicam* interfui, eoque duce ad *aegrotorum lectulos* morbos examinare et sanare didici. *Summorum horum Virorum laudes* silentio transeo, quippe iam abunde notas. *Quantis autem me ornarint humanitatis et amicitiae speciminibus laetissimo semper et gratissimo animo recordabor.*

Quum vero in *tentaminibus* ita se exhibuerit, ut cum laude atque spe genuini futuri medici dimitteretur, nunc in eo est, ut *specimine quoque publico* denuo suae doctrinae documenta exhibeat. *Dicta est huic Solennitati D. XXII Mens. Octobris*





qua Dissertationem Inauguralem *de Lunae imperio in valetudinem corporis humani nullo*, ab Ipso proprio Marte conscriptam, sine Praefide, quod SERENISSIMI PRINCIPIS gratia Ipfi concessum fuit, defensurus est. Cui Actui vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMES ET LIBERI BARONES ILLVSTRISSIMI, PATRES CONSCRIPTI, CIVES GENEROSISSIMI, CAETERIQVE MELIORVM LITTERARVM PATRONI AC FAVTORES frequenter interesse velint, omnes ac singulos obseruantissime et humanissime rogamus.

P. P. in Academia Wittebergenfi Dom. XIX. post Festum Trinitatis A. R. S. MDCCLXXXVII.

WITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII.

Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle


004 335 699

3



f
Sl.





4
1787

GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEORGIVS RVDOLPHVS
BOEHMER

PHIL. ET MED. DOCTOR THERAPIAE PROF. PVBL. ORD.
ACADEMIAE SENIOR PHYSIC. PROVINC. SOCIET.
OECON. LIPS. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XXII. MENS. OCTOBR. A. R. S. MDCCLXXXVII
HABENDAM

INDICIT
PRAEMISSA PROLVSIONE

QVA
CYANO SEGETVM NVPER IMPVTATVM VIRVS
LIMITATVR.